DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

# QVÆSTIO MEDICA.

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IV. DECEMBRIS.

M. EDMONDO CHARRIER, Doctore Medico, Præſide.

*An Pariſini ab Aquilone Tuſſi obnoxii.* 

QVALIS ad ventriculum ſingultus, talis eſt reſpectu aſperæ arteriæ ac pulmonum Tuſſis; ſcilicet validior motus quo ſpirandi inſtrumenta quod noxium eſt conantur excutere: ſemper eſt contra naturam, & omnium thoracis affectuum peræque communis; peripneumoniæ, pleuritidis, tabis, fluxionis; aſperâ arteriâ immodicè refrigeratâ ſæpe oritur prorſus ſine humore; ſæpius fluxionem à capite habet cauſam, ſive in ipſam ruat arteriam, fauces, lingulam; ſive in pulmones decumbat, nobile viſcus aut obſtructura, aut inflammatura, aut eroſura: unde Aſthma, quæ mortis meditatio eſt, periculoſior, ſi nocte habet acceſſiones: Peripneumonia genarum rubore, pectoris medii occupatione, dolore obtuſo, pulſûs mollitie à pleuritide differens: Tabes pulmonum congelationis, pernioni, qui ab urenti frigore in manibus pedibuſque fieri ſolet, haud abſimilis; ulceris, ſyderationis, exſiccationis fœtura quàm calamitoſiſſima: ſive denique in humeros procumbat, dorſum ac latera, triplicem pleuritidis differentiam, Nothæ, Veræ, productura, quæ ſignis agnoſcitur, febre continua, acuta; ſpirandi difficultate; pungente lateris dolore, atque tuſſi: ita quidquid aſperam arteriam, pulmones, alia animæ ſpiramenta potis eſt nimio frigore offendere, violentiâ proſcindere, aut denique fluxionem à capite in eas partes movere, id homines quidem reddit maximè Tuſſi obnoxios.

VNVS eſt ventus undique ſpirans à nive, glacie, aquis inſtar fluvii äërii, qui eò ubique gelidior eſt, quò origini propinquior, in qua eſt frigidiſſimus. Dividitur in quatuor principes, qui flant à totidem mundi cardinibus, Ortu, Occaſu, Meridie ac Septentrionibus; quorum præcipui ſunt in his regionibus, Auſter & Aquilo; ſub æquinoctiali circulo, Eurus atque Zephirus: Auſter à Meridie in Galliam appellit fractus & elumbis; Aquilo cum omnibus viribus: ſic furit, Eurus ab ortu in Americanos & Indos, quibus Zephirus longè eſt remiſſior. Omnes venti tractui ſubſunt per quem ſpirant; Notus in Lybia frigidus, & Aquiloni ſimilis, calidus Solis ſub iter, in Aſia Græciæ circa Tropicum Cancri exoritur etiam humidus, pluvius (cæli ſitulam diceres) tam differt ab albis Notis ſicciſſimis, frigidiſſimis, violentiſſimis; quorum locus originis Europa eſt: Ille veriſſimè in Græcia aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolorem movet, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum: idem in Cyprum Eteſias promittit malignos, peſtilentes: quibus omnibus in Italia facilè caret elogiis; ex Alpibus, ſubfrigidus, ſalubris: mari Mediterraneo ſurgit in Galliam Narbonenſibus ac Lugdunenſibus qui primum ejus ſuſtinent impetum, peſtifer, qui ea de cauſa cæteris Gallis vigore corporis, coloris flore, & bona valetudine cedunt plurimùm, minùs appetunt, ampliùs ſitiunt: at hiſce Galliæ Celticæ finibus detritus quodam modo vix poſſit excitare ingentes clades, maximè ſi qua civitas ſitûs ſui beneficio ab eo ſit averſa.

CIRCIVS, qui à latere flat Aquilonis, propter Occidentem, in noſtra hac Gallia nocentiſſimus vel ipſimet pecori, audit excoriator, circa Martium frigore occîdit vitulos: idem in Gallia Narbonenſi cæli tuetur ſalubritatem, Auſtri medicina eſt, morboſa initia pellit, verè aëris ſcopa: Aquilo ubique ferè in Europâ clarus eſt, ſerenus, odoriferus: Indiam & hypernotios Æthiopes rigat imbribus aſſiduis: apud Germanos & Gallos gelidior: Græcis atque Italis moderatior: vincenti ejus frigore (longè quippe procedit à Solis viâ) ſanguis conglaciat, ſpiritus quaſi præſtricti torpent, vita in corde accenſa ſubit extinctionis periculum, aſpera læditur arteria, uruntur pulmones, alia reſpirationis inſtrumenta oſſea, cartilaginea, membranea immodicè refrigerantur, cutis ſpiſſatur, excrementa retinentur, cerebri mucus & pituita exprimuntur in ſubjectas partes; quo autem debacchatur furore, corpora repleta exagitat, caput commovet, latera quatit, vaſa lacerat, ſcindit pulmones cum aëre hauſtus affatim; quoad vivimus enim neceſſariò ſpiritum è cælo ducimus, nec animus ſine anima, nec anima ſine ſpiritu & aëre teneri conſervarîque poteſt: Is reſpiratione os, nares, cerebrum, aſperam arteriam, pulmones, cor, totum pectus implet confertim: ſic Aparctias, ſanis ſed gracilibus ac delicatis extremè nocet: ejus maleficia amplificat aër civitatis per ſe craſſior, fluminum vicinia, imbres in regione frequentiores, longior hyems atque autumnus, æſtas perbrevis & plerumque Aquilonibus fœta, immenſa cloacarum vis & latrinarum, cœni ſordes inexhauſtæ, proprius demum in urbe aliqua dominatus cum Cauro & Cæcia, qui cælum nubibus occæcare ſolet.

ORIENS Occidente ferventior eſt, Eurus Zephyro calidior; hi ſunt Auſtro & Aquiloni accenſendi, ſaltem in hiſce tractibus: Subſolanus in ortu aridus, fatigat Æthiopes, lædit Americanos: Aſiæ ſalubris, aquas reddit clariores, fructus facit odoratos, quibuſdam arboribus tenet locum ſuffimenti, lætitiæ & alacritatis author eſt: in Italia humidus, καῦμα ferens, vinum vappam facit, nocet atra bile generata, Gallis ex ſe frigidior, Riphæus, æſtate calidus, ex Germania, per nullum mare, nullos lacus: Favonius in Italia ſiccus, ver inchoat, tenui frigore terram aperit, ſudam facit cæli faciem, veſperum operitur, plenus veneris, equos facit generoſos, parit flores aura Favonii: apud Gallos ex oceano, gravis nebulâ, hyemem producit, tempeſtuoſus, vernos facit Eteſias, aërem ſpiſſat, in animalibus & fructibus putredinem efficit, madidus Septentrio, ad quem Corus revocatur Circium ſpectans, Calabriæ mutatus Iapyx, pulmonum peſtis, albus Notus: adeò omnia de ventis problemata intelligere oportet in regione ſingulari.

LVTETIA more clararum urbium circumdata mœnibus quæ officiunt ſanitati, ſepta foſſis unde charonia quandoque aura expirat latè peſtifera, civitas cœni quidem inexhauſti, in palude exædificata mundum capit incolarum, ita ut gentem diceres non civitatem, quæ eſſe definit ubi vivitur inter ignotos, ingentem fluvium intra viſcera admittit, qui ad omnes uſus aſſumptus, calculo, alvi fluxu, meſenterii morbis, tumore, abſceſſu, Pariſienſes mulctat, in ſolo collocata uluginoſo, nigro, fœtido, mirum in modum tenaci, fodinis lapidum, gypſi, circumeffoſſis unde anima craſſior aſſiduò exhalat; auris quidem antelucanis numquam impune licet occurrere: fruitur aëre frigidiſſimo, humidiſſimo atque ſpiſſiſſimo; Solis quidem ſplendore pars ejus Septentrionalis, quæ longè maxima eſt, liberè non recreatur: Vrbs tota recedit in Occaſum & Septentriones, in quos & ad Orientem declivi ſita eſt loco, omnibus vicis majoribus ad aliquem Aquilonum directis, Caurum patentiſſimo portu accipit ventis Orientalibus contraria urbis deſcriptione vix pervia, ſi Cæciam exceperis; radium vulturni aliquem jam ægrè accipit, qua parte peſtis in urbe ſolet incipere, alioqui rarior in tanta frigoris vehementia. Itaque Pariſini corporum habitudine ſunt molli, humida, pectore debili, anguſto, fluxionibus obnoxio, ventre ac venis ita affecti, ut ſæpe earum partium pituita in pulmones exundet: accedit vita umbratilis, otium, venus, deliciarum non unum flumen, frequentes pluviæ, longa & importuna hyems, æſtas brevior nec fervida, ſæpius Aquilonaris, ut mirum non ſit vulgò graſſari Pleuritidem ferè notham à pituita è cerebro expreſſa, venæ ſectione Pariſiis audacter, ſi ullibi, curandam; Peripneumoniam à bilioſa fluxione, tabem omnis generis, pulmonum longos affectus, ſed haud dubio lethales, quibus plures hæreditariis tenentur, catharros vix niſi Lutetiæ ſubitò occîdentes, fluxiones in aſperam arteriam & Tuſſes per hyemem ferè aſſiduas, quæ appetente vere curantur uſu lactis aſinini, & mutatione aëris in contrarium, calidiorem ſcilicet & ſicciorem, ut apud Boïos, ubi aquæ ſulphure medicatæ vix quidquam ad curationem conferunt, niſi eundi occaſionem. Quid, quod nemo Lutetiæ moritur niſi pulmone male affecto, feréque corrupto? ut in morbis longis, in quibus ſæpe cauſâ profligatâ, improviſus hoſtis jugulat.

*Ergo ab Aquilone Pariſini Tuſſi obnoxii.*






DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Ioannes Bapt. Moreau, Profeſſ. Reg.*
*M. Euſebius Renaudot.*
*M. Iſaac Renaudot.*
*M. Antonius Morand.*
*M. Ioannes Hamon.*
*M. Ioannes Maurin.*
*M. Petrus Legier.*
*M. Ioannes Chartier, Profeſſ. Reg.*
*M. Ioannes Pietre.*

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS DE CAËN Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. LIX.